DE

CACONYCHIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

CHRISTIANO ANTONIO RIGONI

PHYSIOLOGIAE P. O.

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE CAPESSENDAM

IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

An. MDCCCXXXII

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

ERMENEGILDUS GUSBERTI

EX ABBIATECRASSO

I. R. COLLEGII GHISLIER. ALUMNUS.

—o—

TICINI REGII

Ex Typ. P. Bizzoni

I. R. Universitatis Typograph.

CLARISSIMO VIRO

CAJETANO MODENA

UTRIUSQUE JURIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

HISTOR. PHILOSOPH. PROFESSORI

ETC. ETC.

Vir Illustrissime!

Summa animo menteque pervolvens beneficia, quae mihi tot jam per annos largitus es, Vir Eximie, cum in I. R. Ghisleriorum Collegio Rectoris et Patris curis me prosequereris, publicam Tibi referendam esse sentio gratem. Academicus mos opusculum hoc typis consignare jubens auspicatissimam occasionem fert. Labos paucis diebus confectus Tuae praestantiae haud est

congruus, neque meretur nomini Tuo nuncupari. Ast humanitas et benevolentia quibus praecellis animos mihi addunt, ut illum Tibi dicare audeam: quare ut tanquam devotum observantiae ac gratitudinis specimen eundem excipias etiam atque etiam exoro.

Dab. Ticini Regii Anno Domini 1832.

Ermenegildus Gusberti.

PROOEMIUM.

Quum Laureae Medicae rite capessendae gratia munus ex academicis legibus mihi incumberet inauguralem dissertationem publici juris faciendi, tanquam specimen acquisitae in arte hypocratica peritiae, multa animo revolvi argumenta, ut aliquod reperirem perscrutatione dignum, atque meis accomodum viribus. Cumque viderim quod praeterito anno mei decessores de cutis (1), ac de pilorum (2) morbis sermonem habuerint, quasdam exponere statui observationes morbos prospicientes quos altera patitur apparatus cutanei externi, praeter pilos, appendix, systema scilicet ungueale. Malis enim bene multis ungues subjici

(1) Specimen nonnullarum animadvertionum circa cutis fabricam functiones, et morbos, quod pro dissert. inaug. publicae disquisit. offerebat Polettini Caesar.

(2) De Cacotrichiis = Dissert. inaug. quam publicae disquisitioni offerebat Dominicus Giovanetti.

solent, quorum pluribus Medici adhuc parum studuere, licet non solum per se valde referre omnia possint, sed ex eo etiam quod utilia interdum sufficiant in reliqui organismi passionibus diagnostica signa (1). Quamobrem meliora in unum colligere, quae auctores de unguium affectibus hactenus tradiderunt, laborem duco prorsus non spernendum. Ea tamen carens doctrina, quam hujusce thematis perlustratio requireret, gloriosam metam me attacturum esse, atque omnes victurum difficultates heu nimis vix spero. Quapropter opus suscipiendi animus omnino mihi deficeret nisi in Lectorum clementia, quam votis exposco, tutam haberem fiduciam.

(1) Double, Signes sèmeiotiques fournis par les ongles. (Journ. gén. de méd., t. XXXIII, p. 397.)

DE CACONYCHIIS.

Quae de unguium morbis in hac opella nobis dicenda veniunt, ut bene intelligi queant, in primis nonnullas exponere jubent relate ad earundem partium structuram et officium generales notiones.

Ungues sub anatomico-physiologico intuitu perspectae.

Lamellas efformant *ungues* duras, semipellucidas, elasticas dorsalem tegentes omnium digitorum extremitatem. Oblongam formam referunt atque duas exhibent superficies, quarum externa convexa, interna vero concava apparet. Tres in unguibus distinguuntur partes, posterior seu *radix*, media seu *corpus*, et anterior seu *extremitas libera*. Radix aliis partibus mollior atque subtilior sub cutem absconditur terete ora finiens, ac sextum circiter efformat unguis totius longitudinis. Pars caeteris major est corpus cujus posterior portio, convexa anterius, concava retro atque

albescente donata colore *lunula* dicitur; anterior vero magis ampla ut plurimum subrubra videtur. Unguis demum extremitas crassa est atque digitorum apicem superans libera omnimode remanet; si non abscindatur haec ad plures pollices excrescere potest. Corpus cum interna ipsius facie subjectae cuti intime adhaeret, atque radix et margines laterales a cuticula paulisper obteguntur, quare a proprio positu removeri ungues nequeunt; in facie autem externa complures observantur lineae elevatae ac inter se parallelae internis respondentes sulcis in queis papillae extant nerveae tactus sensui dicatae.

Ad intimam unguium texturam quod attinet, illorum refellendae sunt opiniones, qui credidere ungues nonnisi cuticulae propagines esse, vel ex pilis conflari glutinosa substantia insimul adjunctis. Componuntur enim ipsi ex stratis superpositis, quorum unum tantummodo integram occupat superficiem convexam ita ut in postica parte ex se unice adsit; sed lamellae alterae anterius et successive concavae adjunguntur parti, quare extremitatem versus sensim sensimque unguis crassior fit. Lamellae istae neque vasa neque nervos possident nam anorganicae sunt, earumque origo deberi videtur secretioni vasorum cutaneorum quae speciatim contingit ubi radix extat, unde illa cutis portio a Rayer *unguium matrix*

dicta est. Ungues revera non tantum in extremis increscunt, uti apparenter videri potest, sed pro maxima quidem parte radicem versus ita ut continuo descendant, ac post quoddam tempus omnimode renoventur, quare si unguis prope radicem cum lapide infernali signetur, nigra macula ex illo inducta paulatim liberae accedit extremitati. Hoc idem ex pathologia confirmatur, quoniam paronychiae caussa ungue amisso novus ex illa materie reproduci conspicitur, quam parant vasa cutanea ad radicem existentia. Clariss. J. B. Monteggia ex ungue equino notabili frusto ope trapani abrepto, donec scilicet suppositum detexerit systema vasculare, post dies nonnullos efformari observavit quosdam carneos globulos humorem se-ponentes album anorganicum, qui inspissatus novo ungui ortum praebuit.

Unguium prima apparitio nonnisi versus tertium aut etiam quintum vitae foetalis mensem fieri solet. Valde flexibiles atque ferme membranacei tunc ungues sunt: solidiores evadunt in posterum, sed nono quoque mense imperfecti adhuc occurrunt. Incrassantur vero apud senes; atque interdum quasi corneum in ipsis referunt aspectum.

Sensibilitate et contractilitate hae partes carent: quae in iis contingunt phaenomena vitalia lente perficiuntur, nutritionis processus si excipiatur,

qui e contra celerrime perfungitur, uti constans illarum augmentum, nec non facilis reproductio abunde testantur.

Firmant ungues musculorum pulvillum, quem apex digitorum format, nerveas tuentur papillas, atque tali ratione tactui mirifice opitulantur.

Congenitae unguium anomaliae.

Superius relata erant de unguibus anatomico ac physiologico sub intuitu animadversis dicenda. Attamen non semper expositis characteribus ungues donantur, nam pleraque congenita conformationis vitia in illis occurrere possunt; uti eorum defectus et imperfecta evolutio, aut e contra excessus nimia idest longitudo, vel crassities, apparitio in locis insuetis, conformatio vitiosa, maculae, aliave similia, quae cum secundaria quoque aut acquisita esse possint, ulterius trademus.

Morbi unguium secundarii, seu acquisiti.

In primis monendum hic est quod pathologi ut omnes, quae in unguibus observari solent morbosae affectiones, uno nomine comprehenderent illo *caconychiarum* usi sunt: caconychia enim ex κακος (malum) et ονγκος (unguis) idem sonat

ac unguis pravus. Ut vero in earundem nosographia rationali procedamus ordine distinguere praestabit morbos organo proprios ungues progignenti (matrici unguium scilicet, seu cuti) a vitiis conformationis et texturae partium secretarum, sive unguium. Cutis enim morbosa esse potest quin eodem tempore ungues male afficiantur, (licet tamen unguium vitiosus status a primaria cutis laesione saepe saepius procedat) atque in ipsorum conformatione et textura pati ungues queunt quin propriam integritatem cutis amittat, quod non raro contingit ex frequenti unguium contactu cum alcalinis materiebus aut acidis, vel cum salibus, aut nonnullis colorantibus substantiis.

Morbi matricis unguium.

Communior, quae in cute adverti solet aegritudo sistit inflammatio (*onyx*) : attamen plures quoque aliae affectiones in reliqua cute observandae et in hac portione prodire possunt, uti maculae, contusiones, vulnera, echimoses etc.

Onyx, seu illius cutis phlogosis, quae cum unguibus relationem tenet, varios agnoscit gradus et modo partialis est, modo generalis, modo laterales margines magis afficit, modoque radicem, atque tum acute, tum chronice decurrere potest. Multas praeterea ostendit varietates juxta causarum naturam ex quibus producta est.

Onycis varietas prima.

Quae in praxi saepius occurrit onycis varietas sistit illa cui originem praebent contusiones aut puncturae subter ungues, vel corpora extranea ungues inter et suppositas partes ingressa. Hae enim laesiones in speciem leves non raro a gravibus inflammationibus, doloribus continuis, sollicitudine universali comitantur, quare abscessus deinde enasci solent subungueales, seri purulenti collectio fit unguem circiter, vel inter istum et cuticulam quae hac de causa sponte secedit donec ipse labitur unguis, qui tamen ut plurimum cito reproducitur. Emollientia topice admota, balnea localia, applicatio hirudinum, aliaque similia hisce in casibus praesto esse possunt. Nihilominus auxilia haec saepe frustranea ex eo evadunt quod unguis irritatas partes comprimendo earum obicem facit libere tumefactioni, atque phlogoseos vim tali pacto adauget. Decet tunc unguem cultri ope, vel cum vitro subtilem redigere, dein parvam perficere incisionem in loco magis irritato ut extraneum corpus educi possit, collectum pus exitum habeat, vel compressio sileat cui phaenomenorum debebatur exacerbatio. Brevis haec operatio nullum ferme progignit dolorem, atque sufficit ex se ad cito sistenda omnia morbi

symptomata: quare simplici antecellit verticali unguis sectioni, quae totam ipsius crassitiem huic organo relinquit, neque vetat proinde quod subjectos textus premere possit.

Onycis varietas secunda.
(Unghia incarnata).

Altera onycis varietas ab illo constituitur unguium morboso affectu, quem Plenk *unguis inclusionem* vel *astrictionem*, Desault *unguem in carnes ingressum*, Monteggia vero *unguem incarnatum* dixerunt. Contingit haec ubi laterales unguis margines, praesertim angulos inferiores versus, in cute et textu cellulari confixi sint, qua propter ob irritationem ex illis inductam hae partes inflammatione corripiuntur: in manibus nunquam occurrit, vero ut plurimum in pedis pollice: ejusdem causae esse solent calceamenta nimis arcta, quae unguem magis convexum reddunt, ejusve margines laterales contra cutem urgent, eodem tempore quo, ut ait *Brachet*, cutis ipsa contra unguem impellitur ex terrae pressione, quam super pes consistit: pravus ungues recidendi modus, mala unguium conformatio, durities, convexitas nimia, aliaeque similes. Incipit morbus manifestari cum levi sub incessu dolore, qui deinceps adeo augetur ut nul-

lum amplius motum aeger perficere queat; exulceratio suboritur ambientis cutis, ex qua dolentissimae surgunt fungositates; protenditur phlogosis ad unguis radicem, cujus adhaerentiae valde minores fiunt, et saniosae suppurationes exitum obtinent. Eventum est quandoque ut, morbi causa non detecta, vel aliqua in situ relicta unguis incarnati portiuncula, hic profundissime confixus a plantari pollicis parte sub diris doloribus exiret. Interdum humida caries aut unguis necrosis sequi visae sunt: quod si demum diutine affectio negligatur periostium et os ipsud inflammantur, atque tunc phalangis totius necrosis et lapsus contingere solent.

Ubi fuerit morbus adhuc recens commendantur recisio cum forficibus lateralium unguis marginum, quibus dein morbida subjiciuntur fila, cataplasmata, et balnea emollientia, hirudines ad inferiorem digiti partem applicitae, et si carnes extent fungosae earum destructio cum allumine usto: nec non quandoque unguis ipsius vitri ope attenuatio. Verum si unguis matrix profunde ulcerata sit, atque multae observentur excrescentiae, tunc ad varias confugendum est operationes ab auctoribus hoc scopo propositas.

Albucasis et *Paulus Eginetta* unguem cum cultro elevant atque liberum reddunt ab ambientibus carnibus, fungositates resecant, ac deinde cum liquido cauterio operationem absolvunt.

A. Pareo partibus mollibus, quae unguem tegunt cum recto gammautte ante et retro caesis, earum postea cum ferro incandescente cauterisationem perficit: hac operandi methodo felici successu usi sunt *Brachet* et *Lisfranc*.

Desault laminam e stamno ferroque attenuatam sub unguem eo modo admittit, ut carnes deprimere, unguem vero extollere valeat: digitus fascia obligatur, et medicatio omni secunda aut tertia die mutari debet. Profess. *Richerand* adhibet meliori eventu laminam plumbi.

Dupuytren cum forficibus rectis unguem in duabus partibus sensu longitudinali rescindit, atque anatomicis volsellis partem unguis evellit, quae morbi caussam praebet: carnes dein excrescentes cauterio actuali destruit.

Methodos alias edocuere *Monteggia*, *Boyer*, *Faye*, *Wardrop*, *Guilmot* de quibus loqui non decet, cum plures alterae nobis sint pertractandae unguium aegritudines, et quidem non minoris momenti ac illa de qua hucusque egimus.

Onycis varietas tertia.
(Onyx maligna).

Alia extat onycis varietas, quae chronice decurrit unguis matricem afficiens, a *Wardrop* maligna dicta. Accidit non raro quin ejusdem digno-

scatur caussa, praesertim in pollicibus tum pedis, tum manus, atque sequentibus stipatur phaenomenis: levis partis inflatio, circulus ruber versus unguis radicem, quam ibi cutis efformat plicatura rubro-purpurea evadit, ulcera enascuntur sanguinolenta, fungosae excrescentiae, atque copiosa et foetida suppuratio: unguis spissior factus obscuratur, flavo-terreum aut virido-nigrescentem colorem sumit donec ad radicem denudatus labitur, eique ut plurimum cito succedunt corneae productiones duarum aut trium lamellarum sub forma, quae dein insimul junctae unicam plus minusve irregularem constituunt: hae interdum phlogosim diutine detinent, cutis a qua circumdantur summopere dolet, atque sanguinem plorat ex aëris contactu, et inflammatio vasis lymphaticis et venis propinquis non infrequenter extenditur.

Rarum est quod solis antiphlogisticis morbus devinci possit. *Wardrop* haud sine aliquo emolumento mercurialia expertus est: ubi lamellae corneae ulceris cicatrisationem vetent, unguis matricem auferre fas est cultri et volsellarum ope, uti *Dupuytren* adamussim fecit.

Quaedam aliae minoris momenti onycis varietates.

Adsunt nonnullae alterae onycis varietates, quae minus referunt ac supradictae. Talis est illa, quam virus syphiliticum progignere valet: dignoscitur ut plurimum ex eo quod aliae in corpore extent ejusdem naturae laesiones. Sic etiam sub decursu leprarum, psoriasis inveteratae, chronici digitorum eczematis, unguis matrix affici potest ex lenta inflammatione: de istis tamen libenter silemus ut fusius de sequentibus dicere possimus.

Onycis varietas ultima.
(Unguium caries).

Gravem ungues interdum patiuntur disorganisationem, quam *Plenk* et *Buzzi* (1) *unguium tineam* dixerunt, atque *Plenk* in *humidam* distinxit, et *siccam*: nos tamen cum claris. *Monteggia* eandem retinentes divisionem nomen adhibemus *cariei humidae* et *siccae*, ut morbus cum illa confundi nequeat crustosa capitis impetigine, quam *tineam* passim vocant.

(1) Memoria sulla tigna delle unghie delle mani di Francesco Buzzi nelle Mem. di Medicina del Dott. Giannini n. 14. 1802.

Caries humida rarior est quam sicca, sed magis molesta et gravis: pollicem pedis saepius deprehendit, raro digitos manus. Tota digiti extremitas inflatur et inflammatione corripitur, praesertim unguem circa ipsiusve radicem. Cutis unguem ambiens profunde ulceratur, saniosa exit materies, atque fungosae carnes excrescunt. Unguis ipse maceratus, niger, in limbis disruptus, atque partim consumptus, praesertim prope digiti apicem, naturali mollior, atque quibusdam in locis fere membranaceus, sed fixus atque tenaciter marginibus et radice firmus: phoenomenon enim est huic morbo unice proprium quod unguis nunquam ferme ex se labitur, licet tam gravis extet cutis circumdantis chronica ulceratio, et hac ipsa de causa morbus non raro ad plures annos perducitur.

Caries sicca locum obtinet ubi ungues incrassantur, et fiunt opaci, inaequales, squamosi, rugosi, scissi, prave flexi, atque deformes, quare vulgo *unghie matte* compellantur: cutis ipsa, quae circumdat unguem callosam exhibet crassitudinem, unde totus digiti apex naturali crassior et brevior est, ac parum sensibilis, atque rigida tempestate obtusi doloris sedes evadit, neque bene iis officiis perfungi potest quibus ungues opitulantur. Non raro illa etiam occurrit cutis morbosa affectio *pterygium* dicta de qua infra erit

sermo. Observatur caries sicca saepius in manuum, quam in pedum unguibus, ejusve causae esse solent vitium psoricum, erpeticum cutem ex qua unguis progignitur afficiens, pellagra docente clar. *Buzzi*, atque frequens rerum acrium contactus, quare huic morbo valde disponuntur tonsores, infectores, fullones, illi qui saponem parant.

Tutior unguium cariem tum humidam, tum siccam curandi ratio illa est ipsos divellendi, vel spontaneo eorum favendi lapsui. Licet enim casus dignoscantur unguium carie affectorum, qui blandiore etiam modo sanitati restituti fuere, nihilominus morbus communiter devinci nequit, nisi unguis vitiosus avulsus sit, quo pacto alius formationi via recluditur.

Monendum tamen quod unguis separatio fieri tantummodo debet ubi cutaneum vitium amplius non extet, ex quo caries producta est, vel nonnisi ex ipso ungue pravo illud foveatur, aut vero sedem jam mutaverit: alias enim novus, qui enascitur unguis priori similis esset.

Duas optime praestantes pro cariei humidae cura clar. *Monteggia* expertus est methodos, quarum prima violenta est unguis extirpatio volsellarum et cultri ope: cunctis enim abreptis unguis reliquiis, ulcus citissime sanatur, pristinum statum digitus recuperat et bonus suboritur un-

guis. Ast quoniam ob hanc operationem diris doloribus aegri cruciantur, auctor alteram huic praeponit methodum, seu usum potassae causticae cum qua cutis margines cauterisari debent unguem ambientes, ille speciatim qui supra radicem positus est, nec non laterales; quo facto manus, aut pes in aqua tepida dermerguntur, atque deinceps cataplasma ex pane et lacte confectum ac recenti butyro illinitum parti admovetur, quae medicatio continuanda venit usque ad escarae separationem: huic enim sequitur spontaneus unguis lapsus, quare digitus cito sanatur, et novus unguis optime constitutus reproducitur. Oportet vero partem ungue orbatam cera aut cerato simplici tectam servare donec alter efformatus sit; quod semper faciendum post unguium jacturam a quavis causa inductam. Brevi temporis intervallo hac ratione aegrotus morbo jam antiquo levari solet, quod decurrente anno in Clinico nostro Chirurgiae Instituto sub auspiciis clar. Prof. *Spairani* confirmatum habuimus. Nihilosecius admonet *Monteggia* maxima diligentia opus esse in usu cauterii, quod inepte adhibitum graviora ac sine remedio damna parare potest: quare nunquam permanenter super partem relinqui debet, atque melius est necessario minorem, quam nimiam perficere ustionem, defectui enim prioris cum altera

in posterum suppleri potest. Forsan ullo absque periculo unguis separatio obtineri etiam poterit iisdem rationibus, quibus cuticulae avulsio fit, uti cum extremae digiti partis immersione in aqua fervente postquam fuerit ille superius, sensibilitatis imminuendae gratia, fasciis arcte obligatus. Refert *Le Clerc* (1) hoc scopo *Galenum* proposuisse cantharides cerato conjunctas, quarum actio efficacior forsan evadet si prius digitus in aqua tepida diutius demersus fuerit.

Quoad curam cariei humidae clar. *Buzzi* methodum proposuit ob lentam efficiendam unguis, balneis jam dispositi, extirpationem, quae molestiis caret violentae avulsioni propriis, atque eo insimul nititur ut cutaneum vitium corrigatur, quod cariei causa fuit. Cura ad quatuor menses protrahi debet, atque eam suscipere praestat mensibus Maii aut Junii, nam tempestate hyemali digitus nimis fieret dolens et inflammatus. Hujus expositionem paucis verbis haud absolvendam brevitatis amore silemus. *Monteggia* secundo eventu cauterisationem adhibuit etiam in carie sicca eadem peracta ratione uti in humida: necessum tamen est aliquod in aqua tepida balneum praemittere ut cutis molliatur, atque epidermidem et cutem ipsam radicem versus paulisper abscindere eo magis si pterygium adsit.

(1) Histoire de la Médecine.

Echimoses subunguealcs.

Ob contusiones dorsalis extremitatis digitorum echymoses sub ungues interdum enascuntur, ac sanguinis effusiones plus minusve extensae: unguis tunc concussus, et ad radicem usque disruptus ut plurimum proprias amittit adhaesiones, atque sponte labitur eique alter cito subsequitur. Hisce in casibus localem irritationem compescere juvat, nec non sanguinis promovere absorptionem: naturae verum officium committitur unguem eliminandi, aliumve progignendi. Si post digitorum vulnera aut collisiones ungues discerptae atque imperfecte avulsae reperiantur, separatas eorum portiunculas cum forficibus rescindere oportet; reliquae tangi non debent ob metum dolores et inflammationem cito produturam exasperandi: caeterum temporis progressu decidunt ex se. Unguium matrix istis abreptis haemorrhagiae interdum sedes evadit, quae tamen compressionis ope facillime cohibetur.

Accidentales unguium matricis conformationes.

Ungues non raro prope radicem denudantur ferme ut digitos versus cutis recederet: quandoque e contra cutis et epidermis super unguem

valde protrahuntur tunicae speciem constituentes: prima cutis morbosa dispositio *ficus unguium*, altera *pterigium* compellari solet.

VITIA CONFORMATIONIS ET TEXTURAE UNGUIUM.

Unguium defectus, imperfecta evolutio, mollities.

Defectus interdum aut imperfecta unguium evolutio, vel morbosa mollities (*onycomalackia*) in praxi occurrunt, quae vitia, licet rarissimo aliquo in casu haereditaria visa fuerint, ut plurimum pendent vel a violenta unguis avulsione, vel a praegressa acuta aut chronica unguium matricis phlogosi, contusionibus, ustionibus, digitorum pernione: neque rarum est quod ungues sponte decidant absque ulla causa nota, aut inflammationis signis omnimodo deficientibus, sicuti et de pilis contingit in quibusdam alopeciis. Manca unguium evolutio provenit aliquando a matrice partim avulsa aut destructa, vel a secretionis inopia sicuti observatum est in quibusdam paralyticis. Mollities morbosa autem non semper a vitio locali exoritur, verum etiam a remoto nu-

tritionis defectu. Rara unguium caesura ubi naturalibus molliores ipsi sint, atque subtiles praesto forsan esse poterit ad diutius in eorum corpore nutrimentum detinendum ut incrassari queant, atque decentem duritiem acquirant.

Unguium avulsio, aut lapsus ex suppositae cutis affectione morbum non constituit per se valde metuendum: ut plurimum enim alter enascitur unguis priori plus minusve similis; attamen interdum ungues reproducti neque lucidi, neque laeves sunt, aut elevatis signantur lineis longitudinalibus. Ubi unguis vitiosus prompte secedit, alter bene constitutus ex radice apicem versus omnino provenit: ast si ille in situ diutius remaneat ita ut recentis progressionem vetet oritur tunc ex cute ungui morboso subjecta novum ungueale stratum, quod alio anteit a radice procedenti, donec vetusto denique lapso, duo recentes portiones in se incidunt, atque insimul conjunguntur, eo tamen modo ut productio radicalis per quoddam tempus ab altera discernatur ob majorem crassitiem, quae ungui formam tribuit inaequalem, unde inexperti illum pro ungue pravo, vel uti ajunt (*unghia matta*) habent; licet ob ulteriorem majoris et radicalis vegetationis usque ad apicem progressum unguis universe aequalis dein fiat, atque laudabilem acquirat aspectum. Non dissimili ratione si aliqua de causa

unguis a subjecta cute disjungitur, quin tamen radicis adhaesiones amittat, ipsius corpus tunc emoritur, atque novus subter illum a cute unguis efformatur, quia eodem tempore duo adsunt ungues, quorum superior mortuus ab inferiore vivente separatus remanet, licet ad radicem conjunti. Vegetatio autem quae ex radice anterius constanter progreditur cum novo ungue inferiore dein unitur, ac istum deorsum fert una cum lamella emortua, quamobrem haec rescindi paulatim queit, et nonnisi unguis recens et bonus ultimo superest.

Unguium longitudo et crassities morbosae.

Ast vitia etiam jam dicta contraria ungues haud raro patiuntur; sic morbose increscere interdum solent in illis qui chronicis rheumaticis affectibus, aut anchylosi laborant. Aeque apud senes longissimi evadunt ubi eorum negligatur caesura (1); magni tamen ungues in pueris quoque visi sunt: Chinenses autem unguium longitudinem tanquam signum pulchritudinis colunt. Nihilominus ungues nunquam secati ad quamdam tantummodo extensionem produci possunt, quam

(1) *Morgagni* = De sed. et caus. morb. epist. LXIII, art. VI.

ultra nutritionis impulsus progredi nequit: quare tunc alibilis humor copia quam par sit majore in postica considit unguis parte, ipsumve crassum nimis atque deformem reddit: quibus positis facile intelligitur cur in pedibus frequentius ac in manibus ungues incrassentur; in illis enim rarius caeduntur, atque unguis progressui obicem faciunt calcei.

Monstruosae crassities et magnitudo incommodo sunt ob majorem quam illi ex calceis recipiunt impulsionem, unde cutem continuo comprimunt, digitum astringunt ubi ad latera nimis flexi sint, ipsas perforant carnes, atque magis expositi remanent exterioribus injuriis.

Hujus deformitatis praeveniendae gratia non parum facere debet unguium caesura cujus ope libere nutritio progreditur in novam efficiendam portiunculam, neque potest hinc in reliqua unguis parte luxuriose consistere, quapropter tenues et ad normam exacti ungues servantur. Ut autem vitium jam enatum corrigatur tam si ab incuria ungues rescindendi, quam si a nimia procedat matricis secretione, excrescentem partem tepida aqua antea delinitam auferre juvat forficum ope, aut etiam cum forficulis incidentibus, vel cum serrula si multam illa exhibeat duritiem. Quod si hac methodo radicalis cura obtineri nequeat unguis vitiosi sejunctionem promovere praestat ut sanus exoriatur.

Unguium siccitas, scabrities, fissura.

Ungues possunt etiam esse defoedati, sicci, scabri, fessi, aut ferme ossei; quae affectiones ubi simplices sint ac minime graves nonnisi effectum interdum sistunt deficientis nutritionis, atque tunc remedia pinguia, uti lardi portiunculae, aut cereum operculum bene conducunt tum ob communicationem alicujus oleosi principii quod unguem compenetrat, tum ob coercitam inopis ejusdem nutrimenti evaporationem. Fissuram, docet *Buzzi*, curandam esse cum rasura unguis vitri aut cultri ope, et successivo ac quavis die per mensem bis repetito in aqua tepida mollimento: oportet autem post balneum unguem semper cera tegere, quae in situ servatur cum pellis sacculo. Simili modo nonnulli ab ipsa carie sicca aeque sanati fuere.

Unguium formae anormales.

Mutationes bene multas unguium forma offerre queit: observantur quandoque super ungues nonnullae ferme corneae verrucae, quas cum acido nitrico destruere convenit. Apparent ungues summopere incurvati (*unguis aduncus Hyppocratis*) in phthisicis, ac generatim in illis omnibus ae-

grotis, qui chronico morbo laborant, atque magna jam afficiuntur macie. Apud complures artifices in unguium superficie ob debilium acidorum actionem numerosae conspiciuntur lineae parallelae, ac inter se adnexae. Quibusdam autem in casibus unguis substantiam et formam absque notabili causa alterari observatum est: ita *Bleck* hujusce phaenomeni exemplum refert, quod haereditarium videbatur. » Est mihi amicus carissi» mus, cui quum nonum aetatis annum ageret, » in digito annulari manus dexterae unguis mon» struosus, curvatus, rugosus, et asper excrevit, » in quo usque ad hoc tempus nil morbosi ani» madverterat; quam formam monstruosam un» guem subiisse, ille narrat sine causa interna » seu externa, morbosa vel mechanica; adfuit » autem haec deformitas jam in matre, et eodem » tempore, eademque lege quam antea diximus, » nempe ut simulac nonum ad aetatis annum » proventi essent, in sororibus, et fratribus ap» pareret. »

Unguium positus vitiosus.

Raro ungues in locis evolvuntur communiori eorum sedi nequaquam dicatis, nec umquam in aliis partibus, praeter cutim, oriri solent. Attamen primis digitorum amissis phalangibus unguem

reproductum observavere in superioribus (licet ex natura non praeditis textu vasculari spongioso quod unguium constituit matricem) *Tulpius* (1), *Mareschal de Rougères* (2), *Voigtel* (3), et *Ormancey* (4).

Unguium decolorationes et maculae.

Non paucae quoad colorem a norma deflectiones in unguibus occurrere queunt. Vidit *Loder* manuum ungues colorem offerre albo-cretaceum in subjecto paralytico. Vernali praesertim tempore solent in unguibus parvae albescentes maculae prodire, quae *ungium flores* aut etiam *bugie* vulgo dicuntur. Ob subjectam cutem diversimode coloratam ungues flavi apparent in ictero, nigri in echymosibus subunguealibus, lividi in paroxysmis febrium intermittentium, et in kyanosi, albo-lactei in anasarcate etc. Haud raro morbosus unguium tinctus pendet ab externarum materierum actione: flavum hae partes acquirunt colorem ex contactu acidi nitrici, fureum ex illo nitratis ar-

(1) Observ. morb. Amstelodami, 1641, lib. IV. observ. 55.

(2) Journ. de médec., t. XXVII, p. 177.

(3) Handbuch der pathologischen anatomie. Halle, 1805.

(4) Jurn. de médec., de chir., de pharm. etc. Paris. marz., 1809, p. 218.

genti, nigrum si sulphureto saturni aut mercurii madefiunt.

Si non omnes, praecipuas tamen, quae in praxi observatae fuere unguium affectiones huc husque retuli ea, quam virium egestas, artis tirocinium, ac temporis angustia concedebant, diligentia. Vos nunc deprecor, Lectores humanissimi, ut pauca quae scripsi fronte accipiatis serena ac animo benevolo, atque mea vota absoluta satis erunt si attentione vestra hanc lucubratiunculam dignam habeatis, et si aliquo in casu aegrae humanitati proficuus evadere praesens labos possit.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Tametsi naturae ad normam vivat homo, medicinae tamen praesidio semper carere nequit.

II.

Contagiosam infectionem per ventriculi viam fieri posse denegatur.

III.

Convalescente jam aegroto Medici subsidium adhuc necessarium.

IV.

In morbis phlogisticis vias urinarias afficientibus, non raro febris evolvitur typo plane intermittente donata.

V.

Aer et motus summopere praestant in scrofulae curatione.

VI.

Magis quam vulnera retinae contusiones caecitati favent.

VII.

Datur tussis hepatica, splenica, intestinalis, abdominalis.